



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

41. Dom. 8. post Trin. de falsis prophetis. Matt. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

38. MEDITATIONES IN
DOM. VIII. POST TRIN.

De falsis prophetis. Matth. 7.

1. **I**ESVS dixit discipulis. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Considera bonitatem & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est, falsos Doctores tot animarum peruersores non permetteret, nisi inde maius bonum colligeret: vt discas ex quouis malo, commodum spirituale colligere. 2. per falsos prophetas non tantum intelligi hæreticos, & hypocritas, sed omnes qui carnalia & suauia obtrudunt sub specie virtutis, vt est caro nostra, mundus, & diabolus. caro enim prædicit, te non diu victurum si durè ipsam tractes, sed falso, quia sancti, qui ieiunia maxima coluere, diutissimè vixere. 3. intrinsecus illos esse lupos rapaces, quia etiam si extrinsecus ostendant vestem ouilem, id est, promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.

2. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & ideo excidetur, & in ignem mittetur.* Considera, sicut quales hæretici huius temporis sint, opera ostendunt, vtpote quæ prorsus sunt
carna-

IN DOM. TOTIVS ANNI. 39

carnalia, (cum ipsi refugiant omnia quæ
carni & sanguini sunt molesta) sic etiam
quales prophetæ sint, caro & mundus, o-
stendunt effectus, reddunt enim conscien-
tiam inquietam, feruorem pietatis tollunt,
agent tentationes carnales, creant incon-
stantiam in vocatione, &c. 2. expende ho-
minem comparari arbori, quia sicut illa in
terra plantata fructum cum ramis produ-
cit sursum, sic homo, licet in terra sit, con-
uersationem debet habere in cœlis, & fru-
ctus producere cœlestes, alioquin exci-
dendus & in flammam æternam conicien-
dus.

*Non omnis qui dicit, Domine Domine, in- 3.
trabit in regnum, sed qui facit voluntatem
Patris, qui in cœlis est.* Considera nemi-
nem ad vitam æternam venturum, nisi fi-
dem, vel vocationem, quam profitetur o-
pere compleat. Deus enim voluntatem suam
declarauit immediate quidem in diuinis,
mediatè verò in humanis Ecclesiæ, & cu-
iusque sacræ religionis præceptis, & statu-
tis. 2. Deum non tam ad externas ceri-
monias & opera, ieiunia, cilicia, tantum in
Ecclesia, quam ad cor purum respicere.
*Hac enim est voluntas Dei, ait Apostolus, 1. Thes.
sanctificatio vestra. 4.*

E 5 DOM.